

cava, inferne utrinque dente notata, longitudine alarum & vexilli. Stamina diadelpha. Legumen arcuatum, teres, subtetragonum, parvo mucrone terminatum, glabrum, fuscum, horizontale. Semina plura, angulata, fuscata.

Patria nobis ignota est. Agit aestate sub dio, hiemem in caldario. Floret ab Augusto ad Novembrem. In tabula ramus sifilis florens & fructiferae cum parte truncata; dein aucta flos & perianthium.

## 366.

## PSIDIUM SAPIDISSIMUM.

Psidium foliis oblongis, acutis, supra glabris, subtus tomentosis; pedunculis unifloris.

Truncus arboreus, teres, glaber, erexit, bali uncialis diametri, ramulis, quinquepedalis. Rami seniores teretes. Ex his & ex trunco quotannis epidermis cælata abcedit ut in betula. Rami juniores foliosi sunt acute tetragonoi & tomentosuli. Folia opposita, brevissime petiolata, oblonga, acuta; integrifima, facie glabra & venosa, subtus costata rugosa & incanula, duas tresve uncias longa. Pedunculi axillares, solitarii, oppositi, semper uniflori, teretes, unciales, errecti usculi. Flores inodori, charactere generis. Perianthii foliola ovata, acuta, tenui. Petala alba, obtusa. Anthereæ flavescens. Bacca subrotunda, juglandis magnitudine, solidide flavescens, cortice coriaceo, pulpa rubente molli & gratissimi saporis. Odorem saporemque habet Psidii pyriferi, sed multo magis aromaticum gratumque.

Patriam ignoro. Jam per plurimos annos in caldariis horti colitur, quotannis florens Aprili & Maji, fructusque seculis maturos feminaque ferunda Augusto & Septembri. Tabula sifilis ramulum florentem, pistillum cum calyce, fructum integrum, eundemque transverse sectum.

## 367.

## LACTUCA VILLOSA.

Lactuca foliis ovatis, acutis, denticulatis, subtus villosis; petiolo alato, sessili; panicula terminali.

Tota lacte secat amaro. Radix biennia consistit fibris pluribus, pennam columbinam crassis, ramosis. Caulis altero anno unicus, erexit, tripedalis, teres, glaber, inferne digitum crassus & purpurascens. Folia alterna, magis minusve ovata, acuta, argute denticulata, subtus villosa & hirtula, supra dumtaxat ad lensem & multo minus, basi in petiolum decurrentia sessilem, in summis foliis longissimum & purpurascens, in summis brevissimum. Panicula terminalis, erecta, amplissima. Flores numerosissimi, glabri, charactere congenerum. Corollæ cæruleæ.

Patriam ignoro. Floret sub dio aestate. Sifilit caulis florantis pars summa.

## 368.

## CHRYSOCOMA DENTICULATA.

Chrysocoma fruticosa, glabra; foliis subcuneiformibus, denticulatis.